Ad te domine clamabo

Deus meus ne sileas a me ne quando

Tacueris michi assimilabor descendentibus

in lacum auribus tuis domine et exaudi

vocem deprecationis mee dum clamo ad te

dum extollis manus meas ad templum sanctum

tuum ne simul trahas me cum peccatoribus

et cum operantibus iniquitatem

Ne perdas me cum impiis et cum operantibus

iniquitatem qui loquuntur pacem cum proximo

suo mala autem in cordibus eorum

Da illis secundum opera eorum et secundum

nequitiam adinventionum ipsorum

Secundum opera manuum eorum tribue illis

redde retributionem eorum ipsis

Quoniam non intellexerunt opera domini et in

opera manuum eius destrues illos

Benedictus dominus quoniam exaudivit

vocem deprecationis mee

Dominus adiutor meus et protector meus

in ipso confidit cor meum et adiutus sum

Et refloruit caro mea et ex voluntate mea

confitebor illi

Dominus fortitudo plebis sue et protector

salvationum christi sui est

Salvum fac populum tuum domine et benedic

hereditati tue et rege eos et extolle illos

usque in eternum